



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 32. Universitas Regi necessitatem extinguendi schismatis exponit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

& Anglos, ne alia negotia discute-
rentur, velut speciosum titulum ob-
tendebant; ideoque ambo conten-
dentes Papæ omni studio hoc bel-
lum alebant, veriti, ne potentissimo-
rum horum Regum reconciliatio in
ipforum incommodum cederet. Ni-
hilominus Rex restituta pace preci-
bus universitatis benigniores aures
præbuit, & pulso e Galliis Abbate
S. Nicasii edictum vulgavit, quo au-
rum omne, & argentum extra fines
regni deportari interdictum erat. Pri-
mus supremæ Parisiensis Curiaë
Præses Arnoldus de Corbeja Regis
nomine justas Academiaë querelas
Pontifici proposuit, rogavitque, ut
imposterum ab ejusmodi exactioni-
bus abstineret, quod & Clemens fa-
cturum se se promisit.

§. XXXII.

*Universitas Regi necessitatem extin-
quendi schismatis exponit.*

Eadem Universitas malis ex schis-
mate abortis commota, Bonifa-
cium

cium æque, ac Clementem sæcularium Principum potentia fultos, unice id curare, ut quivis sibi Papatum affereret, ac idcirco tam suis Bullis, quam suscitatis ultro citroque hostibus se invicem exagitare conspiciebat; unde ad restituendam Ecclesiæ pacem omnes suas vires impendere decrevit; Quapropter per suos deputatos iterato hanc causam Regi exposuit, ac semel Doctor quidam, nomine totius universitatis perorans, unionis necessitatem, mala ex schismate enata, & Regum ac Principum ad tollendum illud obligationem, tanta verborum gravitate, ac rationum pondere exaggeravit, ut assistentium plurimi ad pedes Regis provoluti instantissime rogarent, ut pro revocanda Ecclesiæ unione regia sua auctoritate uti velit. Vicit tamen arcta nimis Regis amicitia, qua Clementem ex nupero colloquio Avenione habito impensius colebat, & quia Pontifex omnium, a quorum ore tunc temporis Rex pendebat, Procerum gratiam sibi demeruerat, omnes Univerfi-

verſitatis conatus in irritum ceſſerunt. Succellu tamen temporis apparuit aliqua reſtituendæ priſtinæ Eccleſiarum conjunctionis ſpes, opera duorum Carthuſianorum, qui pietatis ſtimulis acti Romam petierunt, Bonifacium ad reddendam Chriſtiano orbi pacem permoturi.

§. XXXIII.

Duo Carthuſiani apud Bonifacium pacem Eccleſiæ urgent.

Duo Carthuſiani erant, Carthuſiæ Monach. Anon. S. Dionys. l. 12. c. 7. p. 232. Spicil. Dacher. tom. 6. Aſtenſis Prior nomine Petrus, & D. Bartholomæus Ravennatenſis, Inſulæ Gorgonæ, ſeu Margaritæ mari Genuenſi adjacentis Prior. Ambo hi pietate inſignes Viri deplorantes, quod ſchiſmatis mala ſuum quoque ordinem divexarent, eo quod Urbanus VI, Guilielmo Raynaldo a Præpoſiti dignitate exuto, Joannem Barenſem, alias Carthuſiæ S. Bartholomæi in Campania Romana Priorem intruſerit, tandemque hujus ordinis membra ſub duplici Generali, quorum